

www.e-rara.ch

Quinti Horatii Flacci Poemata omnia

Horatius Flaccus, Quintus

Friburgi Brisgoiae, Anno 1549

Zentralbibliothek Solothurn

Shelf Mark: ZBS Staal 237

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-89747>

Reverendissimo in Christo Patri ac Domino, d. Ioanni, episcopo Viennensi [...].

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

REVEREN
DISSIMO IN CHRI

sto Patri ac Domino, D. Ioanni, Episcopo Vien
nensi, à Consilijs & Secretis Inuictissimi Caesaris Fer
dinandi, uiro eruditissimo, Patrono suo
omnibus modis colendo, Henrichus
Clareanus S. D.



Vam cuperem uir clarissime, om
nibus, qui usquam locorum bonas
profiterentur literas, hoc in primis
persuasum esse, ut optimos quos
que authores assidue priuatim,
publiceque praelegerent: nec suis
quisque opinionibus, aut affectu duceretur pro
prio, sed quod in confesso est optimum esse, ac eru
ditissimorum iudicio firmatum, id demum omnes ar
riperet. Sic enim sperare fore, ut iuuentus utilissimis
imbuta initijs, frugem aliquando ferret uberem, ac
uotis nostris respondentem: animareturque hoc pacto
uehementius ad summa omnium disciplinarum fasti
gia capessenda. Nunc quoniam contra fit, uidemus
quam longe in diuersum res delectatur: dum alij ad de
sperationem adducti, uidelicet quod desiderabant
non assecuti, literas relinquunt, nonnunquam ca

EPISTOLA DEDICATORIA

rŭ hostes fiunt. Alij prauis inbuti opiniõibus, stultaq; inflati superbia, ex authoribus non bonis, & fucata eruditione, de se opinionem concipiunt longe quã pro re maiorem, fastu pleni, ambitiosi, & immodice sibi placentes, apud uulgus Polyhistores, ac magnæ existimationis uiri: cæterum apud uere doctos ridiculi, scioli, ac homines nihili. Quæ cū ita sint, eniten- dum est, ut si in totũ hoc quibusdam persuaderi ne- queat (passim enim præualet philautia) saltem nos officio nostro nõ desimus, cõstanterq; firmemus pro- positum. Inter optimos uerõ authores, quos tanto- pere prælegi cuperem, quis dubitat Q. Horatium Flaccum uel primum esse, uel inter primos: ita ta- men, ut nulli sit secundus: quem Quintilianus, grauis in primis Author, inter Lyricos solum legi dignum existimat. Nam & insurgit aliquando (inquit) & plenus est iucunditatis & gratiæ, & uarijs figuris & uerbis felicissime audax. Item paulo ante idem de Lucilio locutus, continuo de Horatio subnectit: Mul- to est (inquit) tersior, ac purus magis Horatius, & ad notãdos hominũ mores præcipuus. Hæc ille. At qui scio plerisq; uideri omnium authorum obscu- rissimum hũc poetam, sed ijs potissimum, qui sensum non perpendunt, nec perspectam habet huius uatis dicendi uirtutem & phrasim, quæ si penitus in- trospicerent, iurare ausim fore, ut illi mutata in di- uersum sententia, iudicent nullũ esse authorẽ magis
luculentum

HEN. GLAREANI.

Luculentum minus habentem salebrarum, minus ob-
scuritatis. Est in alijs authoribus sepius scule, ut sensum
non cruas quantumuis lucteris, quod in Virgilij Ae-
neide Seruius Honoratus Grammaticus non semel
conqueritur. In Horatio uero, praesertim in odis, nul-
lus omnino locus est, postquam bene rimatus fueris,
qui quicquam habeat uerae obscuritatis. In Satyris al-
lusiones difficultatem faciunt, quae, si liber de perso-
nis Horatianis extaret, cuius mentionem libro 1. Ser-
monum Satyra 3. Porphyrius facit, hodie prorsus
nullae essent. Tempore enim Horatij, quos pungit ac
satyricae perstringit, ij omnibus erant noti. Quare
hoc quoque in luculentissimum authorem commen-
tum est friuolum. Hic uero est author, in quo summa
suauitas cum summa doctrina, inexplicabilis lepos,
iucunditas admiranda, delectabilis uarietas, nitor in-
gens, facilitas non quidem statim obuia, sed penetran-
ti perspicua, ac proinde magis grata. Quis autem
quenquam absque suco & adulatione candidius hoc
poeta laudauit? Quis breuius ac uerius? Quam nunc
solemus, dii boni, phaleratis abuti uerbis, cum absque
omni pudore prodimus Inuictissimos Reges, augu-
stissimos Imperatores, illustrissimos principes, elo-
quentissimos oratores. At hic noster Poeta quae nitide,
simpliciter, ac nulla adulationis pompa, Cum tot susti-
neas (inquit ad Augustum) & tanta negotia solus, &
quae deinceps sequuntur. Quam breuiter Meccoenati

EPISTOLA DEDICATORIA

tanto heroi, & cui totas fortunas suas referebat acceptas, initio odarum, sed quàm uere, imò quàm suauiter duo, non amplius, modulatur carmina. Quanta deinde ambage, quàm diuite uerborum copia ode secunda ac duodecima ad Augusti laudes peruenit, ac uelut aliud agendo, eò quo uult, clam perreperit. Deniq; tertia ode quanta iucunditate in Virgilium, suum indicat amorẽ. Quàm ubiq; uel festiuiter preludit, ut qualem ministrum fulminis alitem: uel dulciter quædam adnectit, ut, Teucer Salamina, patremq; cum fugeret. Quàm sine amaritudine mordet, sine bile ridet, sine felle reprehedit, quibus parere uoluit. Quanta animi constantia diuitias, ambitionem, uanam gloriam, contempsit: quanta ingenij fiducia immortalitatem suis carminibus uere promisit. Quàm præter laudes ubiq; aliquid rerum descriptionis adfert, ut iræ importunitatem, uini, fortunæq; potentiam, & si qua sunt similia. Sed ea omnia persequi, iustum requireret uolumen, & eximiam, quæ in me non est, eloquentiam. Hoc unum fortassis addere poterimus, ad Musicam rationem non alia esse aptiora quàm Horatij carmina. Quamquam de ea forma, qua hodie quatuor uocum cantica componuntur, non loquor: Neq; enim ea apud ueteres fuit opinor. Adlyram quondam cantabant, sed unam uocem unus, cum ipsius carminis uerbis: quæ plerisq; (in quorum numero lubens me quoq; numerauero)

numerauero) suauius ad aures tinniunt, quā nūc quatuor uocū concentus, res paucorū iudicio subiecta, docta me Hercule, sed nō omnibus ne doctis quidem bene nota. Ut autem eius rei obiter exemplum demus, accipe tertiam quam diximus oden: Sic te diua potens Cypriz: eamq; ad Dorium modū decanta, ad eū usq; locum, ubi digressio incipit: Illi robur, & æstriplex: ibi si supra Diapason eius modi semiditono egrediaris, uidebis plane, quid sit, quod de hoc poeta Quintilianus dixit: Nam insurgit aliquando, &c. Eadem sequente ode in, O beate Sesti, uideri poterunt. Sed rerū musicarum imperitis frustra hæc. Et modos nostros in hunc Poëtam, quidam olim priuatum à me exscriptos adeo inepte per Germaniam uulgarant, ut eius inuenti, laborisq; adeo utilis propè pœniteret, qui ἄμυστοι, quod propter aliū atq; aliū authoris sensum, καθολικῶς institui non poterat, applicare (ut ita dicam) conati, se ineptissimos ostenderunt. Sed eos modos olim sub incudem reuocatos pro dignitate (modo faueat Christus) publicabimus. Interim ipsum Poëtā ut castigatius in manus hominū exiret, cursim perlegimus, atq; aliquot loca recognouimus, ut lector præter annotationes nostras etiā hoc Lucelli ferat. Tu itaq; præstātissime Præsul pro tuis in me meritis, quibus ex æquo respondere nō possum, uel hoc muneris suscipe: studiumq; nostrū, imò audaciam potius, boni cōsule. Atq; hoc publicæ studiorū

Q. HORATII VITA

utilitati dona, ut author eminentissimus sub tui nominis protectioe, longe quam unquam antea castigatior in manus hominum ueniat. Denique ut amplitudo tua commendatum me habere uelit, etiam atque etiam oro.

Vale, Friburgi Brisgoiae, Anno à Christi
natali, M. D. XXXIII.

Kalendis Martijs.

Q. HORATII

FLACCI VITA PER PETRUM
CRINITUM FLORENTINUM.

QVINTVS Horatius Flaccus in Venusio
Apulie oppido natus est: patrem habuit
Libertini generis, vnde illud:

Quem rodunt omnes libertino patre natum.

Pro certo habetur eius natalē fuisse duobus circiter
annis ante coniurationem L. Sergij Catilinæ: quo tem-
pore celebres erant in ciuitate, ex poetis Val. Catu-
lus, Licinius Caluus, & Heluius Cinna. ex oratoribus
M. Cicero, Q. Hortensius, & Q. Catulus. ex philoso-
phis Var. Terentius, & Figulus Nigidius. Orbiliū Be-
neuentanum (ut constat) à puero audiuit, quem ap-
pellat alicubi plagosum: ac mirum quàm breui tem-
pore in bonis literis profecerit. Ingenio enim facili,